

DE
NOMINIBVS PROPHETICIS
PRAEFATVS

AD
ORATIONEM ANNIVERSARIAM
BENEFICIO
ECCARDO-RICHTERIANO
DESTINATAM
DEBITA OBSERVANTIA
INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXVII.



In uerbis, herbis et lapidibus singularem inesse virtutem, non minus pro uerbio trito adfirmatur, quam re ipsa atque experientia probatur. Et quantum quidem ponderis uerba habeant, ad id vel recte capiendum vel explicandum, quod sentimus, ea in primis nomina testatum faciunt, quae a grammaticis Propria appellantur. Hæc enim inania signa et nudos sine mente sonos, atque non nisi eam ob causam tam locis quam hominibus imposita esse, ut alter ab altero distingui et internosci possit, nemo statuet, qui solida linguarum peritia est instructus. Certam enim significationem et iustum sentum præferunt, quem in animo primi auctores habuerunt. Neque casui fortuito vel superflitioni origo nominium propriorum est adscribenda: in qua sententia rex Phæacum in Coreyra insula Vlyssen naufragio ad pulsus excipiens, fuisse uidetur, qui ante omnia eius et sociorum nomen sciscitabatur, hanc causam interserens; a)

Ἐ μεν γέρ τις πατέρας ἀνενυμεὶς ἐν ἀνθρώπω,
Ἐ πάπος, ἐδὲ μεν ἐθλος, ἐπην τα πρώτα γενηται,

a) ἐπι παντι τιθενται ἐπει κε τεκνωτι γονεσ: h. e. nullus omnino hominum est absque nomine, sive malus sit sive bonus, sed, simul ac natus est, non enunicuique imponunt parentes. Et eodem super arguento doctor ecclesiæ celeberrimus, CYPRIANVS, ex rhetore profano christianus et tandem episcopus Carthaginensis factus, ita disputat; b) filii nomina à parentibus accipiebant, non quidem ex se, sed à Deo mente implebantur. Qui antequam siant, praesciunt futurorum, quales post incrementum aetatis suæ futuri essent, posteriori tempore uegeti in nominibus hebraicis designabantur. Quid singulis futurum esset, interpretatio nominum designabat veritatem, sicuti tunc temporis in patriarchis completum est. Alio autem loco sententiam suam copiosius his uerbis exponit; c) Solent matres infantulis nuper editis in ipso vitae introitu aptare vocabula, et ex aliquibus precedentibus vel circumstantibus caussis, vel ex genere vel ex euentibus imponere nomina, ut in ipsis primordialibus initii quaedam presigerentur communitaria ingredientibus vitam, ne nomen iis esset ad ignominiam, si originalis naturæ traductio à consueto limite deviaret, et à virtute patrum degenerans, indigna successio monstri non hominis faciem exhiberet. Respicerent potius ad nominia uel officia sua, quorum inspectio honestæ conuersationis formam iis infunderet et doctrinam, ut honorificarent naturales caussas et rationales disciplinas, nec in aliquo elementariis amaricarent dulcedines, vel primarias offendherent dignitates.

Neque inter homines profanos saniores philosophos aliter sensisse, testis est PYTHAGORAS, qui tria momenta bene obseruanda præcipiebat, ex quibus omnis euentus dependeat, nempe fatum, genium, et nomen. d) Et PLATO in libro, qui Cratylus inscribitur, de recta nominum ratione commentans, doctissimos viros, et inter eos Socratem, statuisse docet, vi quadam occulta

a) Homer. Odyss. Θ. 547 sqq. b) de Sina et Sion. p. 242. c) de cardinalibus operibus Christi, p. 282. d) Scaliger de subtilit. Exercitat. 216. p. 465.

culta et genio obstetricante nomina nos fortiri, quae sutura vitae fata praesagiant atque ominentur. Tali fato putat e) Agamemnoni, regi Mycenarum, et Graecorum ad expeditionem Trojanam prosectorum summum imperatori, hoc nomen ideo datum fuisse, quia ἀγαστός κατά την ἐπιμονήν ἀνη, h. e. admirandus in perdurance futurus erat, quandoquidem decem per annos Troiae oppugnanda et expugnanda operam praefabat. Idem probat, f) Oresti, Atreo, Pelopi et Tantalo, nomina, quibus utebantur, futura fata praedixisse. Oresten enim ab ὄγος, h. e. monte dictum fuisse, qui naturam duram atque asperam probdebat; Pelopem, quasi πελας οπιν ἐναι, adspectu proximum fore, qui omnem operam dabant, ut Hippodamia potiretur; Atreo nomen ab ἄρη, h. e. damno, obtigisse, quia summa iniuriam fratri Thyesti inferebat; et Tantalum nomen ἀ ταλαρτον, h. c. onere lapidis accepisse, qui capiti eius fatalis futurus erat. Quorum nominum numerum pluribus augere possemus, quae eventus compribauit, e. g. Alexandri, h. e. malorum propulsatoris, Aeneae, h. e. viri glorioſi, Achillies, h. e. dolorem Ilio comparantis, Thrasonis, h. e. audacis, etc. nisi instituti nostri ratio habenda esset, quod nomina spectat non nisi prophethica, quae in sacris litteris obversantur, et quae eo diligentiori cura considerari debent, quo maiori fide et quo sanctiori religione hic liber profanis literarum monumentis antecellit. Dum uero nomina prophetica iam in scenam sibi producturus, horum in censum ea non refero, quae a re quaedam gesta originem habent, qualia erant nomina Isaaci, Mosis, Simeonis, etc. uel quae à rationibus praesentibus petebantur, e. g. Manasse, Samuel, etc. neque adfirmare ausim, singulas matres duodecim patriarcharum spiritu propheticō impulsas filiis suis non nisi ea imposuisse nomina, quae fata ipsorum futura indicarent, quod episcopus Angliae Bathensis, Georg. HOOPER g) statuit, quia plurima eorum rationes praeteriti et praesentis temporis produnt: sed ea solummodo breui hac tabula exhibeo, quae cum natura prophetarum convenient, hoc est, quae fata futura ominantur. Haec autem, si alphabeti seriem sequi voluerimus, hoc serie ordine excipiunt:

יבְּשָׂר (Iesobel,) filia Ethbaalis, regis Sidoniorum, pessimi Achabi uxor pessima, mulier mali nominis et ominis inauspicati. Etyinologia enim docet, illam dictam fuisse יְשָׂר, illa est sterlus, cuius execrabilis mortem scriptor sacer his uerbis describit: iacuit cadaver Iesobelis tanquam sterlus sub dio. h)

Cum qua derivatione etiam comparatio mystica conspirat. i)

בְּרִיא (Ariel,) geminam habet significationem, personae et loci. Vtrumque autem inter nomina prophetica referendum esse, adparet. Nam, ubi personam indicat, vi vocis leonem Dei indicat, hoc est, virum maxima virtute bellica valenter; quo nomine septimus filiorum Gadi compellabatur, k) et ex quo Ariellitarum familia ortum trahebat. l) Patrem vero filio suo Arielis nomen imponen-

e) in Cratyl. p. 398. f) l.c. p. 394. g) in Traictat. de benedictione patriarcharum. Oxon, 1728. vid. Memoires de Trevoux, 1730. mois Mars, num. 8. h) 2 Reg. 9. 37. i) Apoc. 2, 20. et cap. 17, 16. k) Gen. 46, 16. l) Num. 26, 17.

ponentem recte ominatum esse, res ab eo fortiter gestae docent, quae in annalibus sacris celebrantur. m) Vbi uero Ariel locum indicat, tam altare holocaustorum, n) quam urbem Hierosolymani repreäsentat. o) Et hoc sensu ex **הָנֶ** deus, et **הַאֲרֵן**, conflatum videtur, quod nomen ad **הַיְמִין** proxime accedit. p)

אֶשְׁר (Affer,) filius Iacobi ex Silpa, Leae ancilla, susceptus, q) et boni omnis nomen a **felicitate** natus, quam mater diuinando praedicebat, filio nato exclamans: beatam me mulieres prædicabunt. r) Nam terrae portio illi assignanda tractu feracissimo continebatur, s) et omnibus vitae præfidiis adfloebat. s) Qna mente alios quoque parentes filiis suis talia nomina auspicata impertivisse, legimus, e g Macarii, Eutychi, t) Tychici, u) Felicis, w) Fortunati, x) etc.

בְּנֵי (Benjamin) filiorum Iacobi natu minimus, ex Rahele procreatus, et à matre partu exsincta Benoni, h. e. filius doloris adpellatus, quod nomen vero pater, spiritu propheticō ductus, in Benjamin, h. e. **filium dextræ** communitabat, y) quia animo prævidebat, eum singulari virtute maximam nominis famam conseqvitorum. Cum quo augurio benedictio patris iam morituri contentiebat, sata Benjamini his uerbis præuentiantis: z) Benjamin lupi instar prædabitur. Nam mane prædam vorabit, sub uesperam autem spolia dividet. Et quis dubitet, hoc vaticinium impletum fuisse, legens, quam strenuis et ferocibus animis posteri illius excelluerint, a)

בָּרָק, (Barak,) Abinoami filius, ex familia Naphtalitarum, b) cui pater propheticum nomen indidit, præsentiens, quod instar **fulminis et fulguris** hostibus maximum terrorem si incussurus. Quo sensu etiam profani scriptores hanc metaphoram ad viros armis præstantes adcommodearunt. Sic enim VIRGILIVS Scipiadas duo fulmina belli, c) et IVSTINVS unum Ptolemaeorum Ceraunium adpellat, d) imo eodem fere sensu Iohannes et Iacobus, legati diuini, viri tonitru cognominabantur. e) Huins autem Baraki virtus imprimitis in pugna aduersus Sisserain, ducem regis Cananitici, eluxit, f) quam ipse Paulus in exemplum commendare non dubitauit. g)

גָּד (Gad,) filius septimus Iacobi, ex Leae ancilla natus, quae illo in lucem feliciter edito singulare gaudium testatura, his uerbis animi præfigum indicabat; h) quod bene vertat! eumque Gadum adpellabat. Licit enim quidam existiment, Leam, qvum hoc nomen filio impertiret, Syro patre natam, eo patriam superstitionem prodidisse, quod idolum Syrorum, Gad dictum, fausti auspicii caufsa implorauerit; i) euentus tamen testatum fecit, nomen Gad rectius per appellatiuum, quod **turram militarem** indicat, explicari. Neque alia mente

pater

- | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|--|-------------------|-------------------|--|-----------------|----------|-------------------------------|----------------|-------------|----------------|--------------------|-----------------|-----------------|--|------------------|-----------------|-------------|-----------------|---------------------------|------------------|-----------------|-----------------|
| m) Nuin. 22, 25. Ios. 1, 12. 4, 12. 1 Chr 6, 18. | n) Ezech. 43, 15. | o) Ies. 29, 1. 2. | p) 1. Chr. 4, 2. 5, 5. Est. 2, 47. Neh. 7, 50. | q) Gen. 30, 13. | r) 1. c. | s) Deut. 23, 24. Ios. 19, 24. | t) Act. 20, 9. | u) 1. c. 4. | w) Act. 24, 3. | x) 1. Cor. 16, 17. | y) Gen. 35, 18. | z) Gen. 49, 27. | a) Iudic. 5, 14. 20, 15. 16. 2. Chr. 14, 8. 2. Sam. 2, 15. | b) Iud. 4, 6, 8. | c) Aen. 6, 842. | d) L 24, 1. | e) Marc. 3, 12. | f) Iud. 4, 6. seq. 5, 12. | g) Hebr. 11, 32. | h) Gen. 30, 11. | i) Ies. 65, 11. |
|--|-------------------|-------------------|--|-----------------|----------|-------------------------------|----------------|-------------|----------------|--------------------|-----------------|-----------------|--|------------------|-----------------|-------------|-----------------|---------------------------|------------------|-----------------|-----------------|

pater morti vicinus vaticinabatur; k) Gad turmas ducet et reducet. Quoniam enim Gaditae Moabitae, Ammonitas et Syros vicinos habebant, non raro quidem lacescebantur, plerumque tamen superiores discedebant. l)

גִּדְעֹן (Gideon) filius Ioási, a radice hebraica nomen sortitus, quae maximum excidium ante oculos ponit. Nam historia sacra docet, quanta virtute et felicitate hic index Israëlitarum, à Deo excitatus, altaria Baalitarum destruxerit, populumque diuinum ex potestate Midianitarum liberauerit, m) dignus, qui inter praecipuos heroas nominis immortalitem consequutos referretur. n)

הָוָא (Heua,) nomen primae mulieris, ab Adamo hanc ob caussam ita appellatae, quod animo preevidebat, eam fore medium uitae et propagandae et conseruandae. o) Pia igitur quidem, sed disertis sacri scriptoris verbis aduersa est sententia Angli Theologi, HVTCH'NSONIS, p) nomen Heua non ex הָוָא, vixit, sed ex הַוָּה, indicauit, deducens, quia communis illa mater secunditate sua non solum communem omnium hominum vitam manifestauit, sed aeternam quoque salutem per Salvatorem mundi ex se nascituri, indicauit. Ineptunt autem Rabbini, nugantes, q) Adamum uxorem sibi adductam Chava nominasse, quod animo preeviderit, eam mechava, h. e. garrulam fore: nam veteres dixerunt, decem cabos loquacitatis in mundum descendisse, quorum novem solae mulieres abstulerint. Neque multo sanior est conjectura Metrophanis Critopuli, r) Euae nomen ex εὐ bene, et αὐ, vah, coaluisse, somniantis, quia illa Adamo simul voluptatem attulit et dolorem. Optime vero LVTHERVS: Adam gab seinem Weibe keinen andern Nahmen als Eua, zu zeigeu, dass er auch da ein Leben glaubte, da seine ganze Natur dem Tode unterworfen war. s)

יְהֹוָשָׁע (Jofsa,) filius Amonis, regis Iudee, qui eodem nomine praenuntiatus et promissus fuerat, antequam nasceretur. t) Et hic mensuram illius appellationis, quae à Deo donatum refert, adeo impleuit, ut post Davidem probitate nemo eum exaequaret. u) Et quia hic Iosias, quod vidimus, ante nativitatem suum nomen accepit, ab hoc loco alienum non erit, illa nomina, quibus idem obtigit, repetere. Talia scilicet erant Iisnaél, w) Isaac, x) Salomo, y) Cores, z) Iohannes baptista, a) et sanctissimum nomen IESV.

לֵבֶנְרֹא (Iesreel) filius prophetae Hoseae, hoc consilio ita cognominatus, quod breui dispersurus erat Deus populum Israëliticum. c) Idem vero nomen etiam certis locis competit, nempe urbi in montanis Iudee, d) et aliis in tribu Manasse sitae, e) itemque valli, in qua Gideon Midianitas superabat, f) et quae alio nomine Esdrelom vocabatur. g)

- k) Gen. 50, 19. l) Iud. 9. et 10. I. Chr. 6, 18. 13, 8. Ies. 4, 12. m) Iud. 6, 5. n) Hebr. 11, 32. o) Gen. 3, 20. p) in Account of Moses's Principia, vid. presente State of the Republik of lettres. 1730, mens. Iun. num. 5. q) Baal Hattur, ad Gen. 1, et Kiddusch, f. 49. r) Confess. cathol. p. 48. s) commentar. in Gen. 1. c. t) I. Reg. 13, 2. u) 2. Reg. 22, 2. w) Gen. 16, 11. x) Gen. 17, 19. y) I. Chr. 2, 9. z) Ies. 45, 11. a) Luc. 1, 13. b) Luc. 2, 21. c) Hos. 1, 4. d) Ios. 15, 56. e) I. Reg. 18, 46. f) Iud. 6, 33. g) Judith, 1, 8, 4, 5.



נַפְרִי (*Naphthali*) filius Aguris, b) qui procul dubio Salomonis aetate vates divinus fuit, de quo historia sacra nihil amplius narrat, quam quod quasdam sententias bonae frugis plenas ad posteros transmisserit. Filium uero tali nomine impertinuit, qualem futurum preevidit, nempe *Dei timentem*, pius et religiosum: quo sensu haec adpellatio nominibus Eusebii et Timothei accurate respondet.

לָבָתִיל (*Labathil*) filius Lamechi, ita adpellatus, quia pater ominabatur, illum iastar fluminis aliquando sese diffusurum: quae significatio uerbi **לָבָתִיל**, insiguum multiplicationem notantis, plurimis testimonis confirmatur. i) Hic enim prius tabernacula exstrella et inhabitanda docuit, et rem pecuariam cum fructu constituyendam ostendit. k)

יְהֹוָה (*Ioseph*) filius Iacobi, hoc nomine ideo insignitus, quod mater praesagebat, huic alterum filium, Beniaminum, *additum iri*. l) Quod augurium si cum benedictione tam patris Iacobi, quam Molis comparatur, haud fuisse vanum, annales sacri docent. Ita enim alter: m) secundus erit Iosephus veluti ad fontem, eiusque arcus valentissime perstabit: nam sui patris ubertates, quae omnia superant, in caput huius, fratris suorum excellentissimi, redundabunt. Alter autem his omnibus eundem prosequebatur: n) felix erit terra Iosephi a prouentu caelesti, a rore et a solo subiacente, imo a capite montium perennium et collium aeternorum, quae in uerticem illius diffundentur.

יְהֹוָה (*Jeuz*) unus e familia et posteris Isachari, vi nominis *consultissimus* et prudensissimus: quam egregiam animi indolem pater Bilhan, o) spiritu diuino admonitus, hoc nomine aperte indicavit. Et haec nominis ratio cum descriptione filiorum Isachari adprime convenit, quos scriptor ditiuis hoc encimio ornat: p) filii Isachari erant temporum peritisissimi, et prudentissimi ad ea, quibus opus erat, feliciter exsequenda.

יְהֹוָה (*Iaphia*) que nomine *rex Lachisae*, q) itemque filius Davidis, r) nec non urbs in Sebulonitica tribu sita, s) compellabantur. Ipsius autem nomen a *splendore et eminentia* originem habet, et eventus docuit, non sine omniu[m] idem fuisse impertitum. Nam filii in sacris litteris splendor ac ornamentum familiae dicuntur, t) et lumen est honoris ac felicitatis omen auspiciatum. u)

יְהֹוָה (*Iaphet*) filius Noachi, a *dilatando* nuncupatus, quia pater preevidebat, eius familiam per Asiam atque uniuersam Europam diffusum iri. w) Et codem spiritu propheticum Noachum reliquis duobus filiis, Semo et Chamo nomina indidisse, negari non potest. Nam *Sem* eum notat, cuius beneficio *nomen paternum* conservatur, x) unde *οὐομακός* virum celeberrimum indicat: y) *Cham* autem, filius natu minimus, a *calore* adpellabatur, quia posteros eius terras *calidissimas* inhabitatu[re]nt esse, Noachus haud obsecure prædictabat.

יְהֹוָה (*Ierobeam*) rex Israelitarum, cui pater Ios nomen a *multiplicando populo* procul dubio ideo imposuerat, quod animo præcipiebat, filium fines terrae Israeliticae mirifice amplificaturum, et Damascum, urbem Syriae primariam et regiam sedem, expugnaturum esse. z)

- l) Prov. 30, 1. i) Num. 24, 7. Ies. 8, 7. et 46, 7, 8. it. 47, 2. et 48, 1. k) Gen. 4, 20. l) Gen. 30, 24. m) Gen. 30, 22, 26. n) Deut. 33, 13. sqq.
o) 1. Chr. 8, 10. p) 1. Chr. 12, 32. q) Ios. 10, 3. r) 2. Sam. 5, 15.
1. Chr. 3, 7. et 14, 6. s) Ios. 19, 12. t) 1. Reg. 11, 36. 2. Reg. 8, 19.
2. Chr. 31, 7. Tob. 10, 5. t) Ps. 18, 29. Hiob 29, 3. Ier. 25, 10. Apoc. 28, 23.
w) Gen. 9, 27. x) Deut. 25, 7. y) Sir. 49, 19. z) 2. Reg. 24, 25, 28.

לְתָהֵד (Iathed,) nomen ducis Idumaeorum, a) quem parentes paxillo similem fore, divinabant, ex quo aliquando uniuersae familiae gloria erat suspensura. Nam hac metaphora stabilitum regni et familiae, itemque viro ad rem publicam gerendam maxime idoneos indicari, testimonii luculentissimis constat. b)

וְחִזָּע (Chus,) primogenitus Chami filius, a terrore nomen adeptus, quia pater non sine causa suspicabatur, in terra, quae nomen ab eo duxit, maximos terores excitatum iri. Nam rex Chusiarum, Thirhaka, Sennacheribum invadet, c) Serah cum milieis milibus militum Assiam adgrediebatur, d) Nunrod uero, Chuso natus, primus tyrannidem occupabat, e) et priuam monarchiam debeat.

מַרְאֵה (Maher schalat chasch bas) h. e. festinar spoliū, properat praeda, Quo nomine propheticus alter vatis diuinis Iesaiæ filius impertiebatur, f) ut hoc indicio prænuntiaret, breui post tempore Assyrios in Iudeam irrupturos, multamque secum praedam abducturos esse. Neque vanum hoc augurium fuisse, cœntus testatum fecit g)

מֶרֶא (Mera) nomen Babylonis propheticum, a contumacia et rebellione derivatum, g) Quod enim ea urbs non solum a Chami posteris aedificata et regia sedes Assyriaci imperii fuerit, sed etiam uerae religionis cultoribus magnos terores incusserit, ex eo intelligitur, quia uirga castigans, h) malleus uniuersi mundi, i) et mons omnis perdens k) adpellatur, qui terras perterrefaciebat, urbes euerget, neque captos relaxabat. l)

מְחוּשָׁלָה (Methusala,) patriarcharum octavus, et breui ante diluvium tempore de-natus, quam cladem illius parens, Henochus, filio nomen diuino admonitu imponens, praedicebat, cuius interpretatione eo valet, hoc mortuo immisionem aquae instare. Imo Deum eam ob caussam illud exidium septem dies distulisse, m) ut Methusala placida et naturali morte vitam deponeret, R. Sal. IARCHI multis uerbis disputat n) Et haec etymologia cum ea loquendi ratione conuenit, qua נֹשֶׁה ad inundationem et effusionem aquarum adhibetur. o)

מִשְׁׁמָאֵל (Immanuel,) nomen Messiae mysticum et propheticum, vati diuino inspiratum, p) atque in noyo foedere per legatum celestem repetitum, et explicatum per μετὸν ὄντος ὁ Θεός. p) Quo nomine non tantum duae naturae in una persona conficiatae, uerum etiam Salvatoris officium mediatorium, quo homines cum Deo reconciliati sunt, et omnis generis beneficia per eundem parta representantur. Nihil enim obstat, quod ille in circumflexione non Immanuelis, sed Iesu nomine fuerit insignitus. r) Sufficit, quod reuera sit talis, qualis hoc nomine promittebatur. Haec est obseruatio CHRYSOSTOMI, Iudeis, qui negabat uaticinium Ies. VII, 4. nostro de Messia agere, quippe qui nuspiam Immanuel uocatus legatur, ita respondentis: s) ἐόσ τετρα τῇ γραφῇ, τοι συμβανούται προφητεῖα ὀνομάτος τιθένει. Οὐδεγέν αὖτοι δηλωτοὶ καλεσθεῖν Εἰμαννελ, οὐτοὶ διψούται θεοῦ μετὰ αὐθεωπώι, h. e. Scripturæ sacrae in more positum est, ren ipsam loco nominiu posere. Nihil aliud igitur innuitur uerbis, uocabunt eum Immanuel, quam, eos Deum uisuros esse cum hominibus degentem. Id quod testimoniis multis facile probatur. t) Tale etiam est nomen

מְנַחָּה (Zemah) Messiae singulari ratione competens, u) quia inter filium et germen aperta similitudo intercedit. Quo sensu etiam filius Davidis Nepheg, h. e. ramus adpellatur, x) quem Graeci Blasphem uocant, y) Rabbiui uero, artis cabbalisticae admiratores, ope-

Gema-

- a) Gen 36, 40. i. Chr. 1, 51. b) Esr. 9, 8. Ies. 22, 23, 24. c) 2. Reg. 9, 9.
d) 2. Chr. 14, 9. e) Gen. 10, 8. 9. i. Chr. 1, 16. Mich. 5, 5. f) Ies. 8, 3.
ff) 2 Reg. 16, 9. fqq. g) Ier. 51, 21. h) Ies. 14, 5, 6. i) Ier. 50, 23.
k) Ier. 51, 25. l) Ier. 14, 16, 19. m) Gen 7, 4. n) Comment. ad h. l.
o) Hiob 5, 10. p) Ies. 7, 4. q) Matth. 1, 23. r) Luc. 2, 21.
s) in Matth. Homil. 5. t) Ies. 1, 26 et 60, 14, et 62, 4, 17. Ier. 23, 6. Ez. 48, 35.
Zach. 8, 2. u) Zach. 3, 8. w) Dan. 9, 7. Ies. 4, 2. Ier. 23, 5.
x) 2. Sam. 5, 15. y) Act. 12, 20.



Gematriae vocabulum מִצְרַיִם cum מִצְרָא computantes, in utroque numerum eundem, nempe CXLVIII. detexerunt, quod posterius consolatorem indicat, et ad Messiam passim refertur. z)

ם (Ram), h. e. excelsus atque illustris, quandoquidem omne, quod excelsum est, in oculos incurrit. Hoc igitur nomen fausti ominis filii a parentibus eo consilio imperiebatur, ut tales euaderent, quales hi exspectabant, sperabant et praevidebant. Ita etiam filium Kenuelis, a) porro filium Chezronis, b) itemque filium Ierachmeelis a praecedente patruo adpellatum fuisse, in annalibus sacris legimus. c)

שֵׁבֶת (Sefach) nomen erat Babelis propheticum, a tranquillitate vel potius securitate significatione fortitum. d) Constat enim, incolas terrae Babylonicae in primis vito incuriae et securitatis laborasse. e) Rabbinorum autem opinio magis ingenii lusum prodit, quam argumentum probandi praestat, qui hanc uocem per cabballae speciem, quam Arbausch nominant, cum בְּנֵי permutant. f) Neque tamen negari potest, HIERONYMVM eandem sententiam amplexum esse, cumque hoc praetextu palliasse: arbitror, a sancto propheta verum nomen prudenter esse celatum, non aperte corum insaniam contra se commoueret, qui iam Hierosolymam obsidebant, breui illius potituri. g)

שְׁמַעְיָה (Shearjaeschubb), nomen alterius filii Iesaiæ propheticum, eo animo impositum, ut de reliquiis populi redituris fierent certiores. h) Itaque hoc nomine non solum futura Iudeorum liberatio praedicebatur, qui adhuc grauiter ab hostibus vexati fuerant, i) et quem in fine etiam alii in captivitate nati, boni omnis causia, Ieschubb adpellabantur, k) sed etiam multorum conuersio ad Messiam tempore novi foederis futura preannuntiabatur. l) Perperam autem G. BVCHN-RVS hoc S.hearjaeschubb in Thorwaerter conuerit, quasi esset ex שְׁמַעְיָה sedit, et שְׁמַעְיָה porta, conflatum, m)

הַדָּר (Thideal) rex Cananitarum opibus valens et dignitate timendus, nomen non absque omnino fortitum, n) quam significationem alia etiam nomina prae se ferunt. e. g. Hadar, o) Adramelech, p) Heth, q) Chusian, r) Tarthan, s) Magur, t) etc.

Sed abrumpendum est filum, atque ad id deniendum, quod caussam et occasionem scribendi subministravit. Leges nempe scholasticae memoriam beneficii ECCARDO-RICHTERIANI pie recolere nos iubent, cuius auctor scholam huius civitatis sua munificentia ita devinxit, ut satis dignis laudibus illa nunquam predicari possit. Namque non solum liberali stipendio iis prospexit, qui necesse vitae praefidii destituti, in academiam conferre te volunt, sed etiam mensam gratuitam sex alumnis comparauit, super qua bis singulis diebus cibo ac potu satiantur. Habent igitur hi convictores, quod immortales Deo immortali gratias persolvant, et tam Dominorum Inspectorum curam, quam administratoris diligentiam religioso obsequio prosequantur. Qua mente unus eorum, qui adhuc illa beneficia fruuntur,

ERNEST. SCHVMACHER,

Freiberg.

tam scholae quam suo et commititon nomine officio pietatis publice satisfaciet, praemissa de inseparabili virtutum nexu Latina oratione. Ad quam benebole audiendam, et propenfam erga scholas voluntatem declarandam, ut PATRONI et FAVTORES eas hora ante meridiem nona haud iniuiti convenient, qua par est, observantia ro-

gantur. Freib. d. XVIII, Jun. MDCCLXX.

- z) vid. Io Biermanns Weissag des Proph Zachar. p 138. a) Gen. 22, 21. Hiob 32, 2. b) Ruth 4, 19. i. Chr. 2, 9. c) i. Chr. 2, 25, 27. d) Ier. 25, 26 et 51, 41. e) Ies. 47, 7. 8. f) Hackspan. Miscell. Sacr. p. 283. g) Comment. ad Ier. 25. h) Ies. 8, 3. i) Pf. 14, 7. et 126, 1. k) Efr. 9, 29. l) Ies. 9, 22. Rom. 9, 27. m) Bibl. Real. und Verbal-Concordanz p. 1634. n) Gen. 14, 1. o) I. Chr. 1, 50. p) 2 Reg. 19, 37. q) Gen. 9, 15. r) Iudic. 3, 8. 10. s) 2 Reg. 18, 17. t) Ier. 20, 1, 2.

Yb-627

(811148)

TA>OL

ULB Halle
001 508 164

3







DE
NOMINIBVS PROPHETICIS
PRAEFATVS

AD
ORATIONEM ANNIVERSARIAM
BENEFICIO
ECCARDO-RICHTERIANO
DESTINATAM
DEBITA OBSERVANTIA
INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXVII.